

EARLY YORKSHIRE SCHOOLS.

CANON LAW ON CATHEDRAL GRAMMAR SCHOOLS.^a

A.D. 826.

[Decreti Prima Pars. Dist. xxxvii. c. 12.]

Magistros et doctores Episcopi congruis locis consistent.

Item ex synodo Eugenii Papæ [II. c. 34], 826.

Pope
Eugenius II.

DE quibusdam locis ad nos refertur, neque magistros, neque curam inveniri pro studio literarum. Idcirco ab universis episcopis subjectisque plebibus, et aliis locis, in quibus necessitas occurret, omnino cura et diligentia habeatur, ut magistri et doctores constituentur, qui studia literarum liberaliumque artium dogmata assidue doceant, quia in his maxime divina manifestantur atque declarantur mandata.

Complaints have been made that in some places no masters nor endowment for a Grammar School is found. In all Bishops' sees and other places, where necessary, masters and doctors are to be established to teach Grammar Schools and the principles of the liberal arts.

In indice etiam synodi a Gregorio VII. Romæ habitæ talis cujusdam capituli hæc ponitur summa: "Ut omnes episcopi artes literarum in suis ecclesiis docere faciant."

DE MAGISTRIS.

Et ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

[Decretalium D. Gregorii Papæ IX. Lib. V. Tit. V.]

Cap. I.

Ecclesia cathedralis providere debet magistro de beneficio, qui clericos eiusdem ecclesiæ et alios pauperes gratis doceat; et vendens licentiam docendi, aut interdicens idoneum ad docendum, beneficio privetur.

Ex concilio Lateranensi.^b

QUONIAM ecclesia Dei et in his quæ spectant ad subsidium corporis, et in iis, quæ ad profectum proveniunt animarum,

1179.

3rd Lateran Council.

Every cathedral to

^a These extracts are from the *Corpus Juris Canonici*, ed. H. L. Richter, Leipzig, 1839, and ed. Friesberg, Tauchnitz, Leipzig, 1879.

^b Can. 18 concilii Lateranensis III. habiti A.D. 1179.

provide a benefice for a master to teach the clerks of the church and other poor persons, gratis.

indigentibus sicut pia mater providere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non possunt, legendi et proficiendi opportunitas subtrahatur, per unamquamque cathedralem ecclesiam magistro, qui clericos eiusdem ecclesiæ et scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium præbeatur, quo docentis necessitas sublevetur et discipulis via pateat ad doctrinam.

In aliis quoque restituatur ecclesiis seu monasteriis, si retroactis temporibus aliquid in eis ad hoc fuerit deputatum.

Pro licentia vero docendi nullus omnino pretium exigat, vel, sub obtentu alicuius consuetudinis, ab eis, qui docent, aliquid quærat, nec docere quemquam, qui sit idoneus, petita licentia interdicat. Qui autem contra hoc venire præsumserit ab ecclesiastico fiat beneficio alienus.

Dignum quippe esse videtur ut in ecclesia Dei fructum sui laboris non habeat, qui cupiditate animi, dum vendit docendi licentiam, ecclesiasticum profectum nititur impedire.

Cap. II.

Pro licentia docendi nihil exigi debet vel promitti, et exactum restitui et promissum remitti debet; et negligente inferiore prælato ad magistrum constituendum, supplebit hoc superior.

1159-81.

Alexander III. Wintoniensi Episcopo.

Pope Alexander III. to Bishop of Winchester. Abolish in your diocese all fees for licences to teach.

PROHIBEAS attentius de cetero ne in parochia tua pro licentia docendi aliquos exigatur aliquid aut etiam promittatur. Si quid vero postea solutum fuerit vel promissum, remitti promissum facias et restitui appellatione cessante solutum, sciens quod scriptum est "Gratis accepistis, gratis date."

Sane si quis occasione hujus prohibitionis distulerit magistros in locis idoneis instituere, tibi liceat de concessione nostra, omni contradictione et appellatione postposita, ibi aliorum instructioni præficere viros providos, honestos et discretos.

Cap. III.

Pro licentia docendi pecunia exigi non debet, etiamsi hoc habeat consuetudo.

Idem.

The more learned the Gallican church

QUANTO Gallicana ecclesia majorum personarum scientia et honestate præfulget, et cautius nititur evitare quæ con-

CANON LAW ON CATHEDRAL GRAMMAR SCHOOLS. 3

fundere videantur ecclesiasticam honestatem, tanto vehementiori dignos eos esse animadversione censemus, qui nomen Magistri Scholarum et dignitatem assumunt in ecclesiis vestris, et sine certo pretio ecclesiasticis viris docendi alios licentiam non impendunt.

Quum autem hæc prava et enormis consuetudo a cupiditatis radice processerit, et decorem ad nudum ecclesiasticæ honestatis confundat, providendum vobis est et summopere satagendum, ut consuetudo ipsa de ecclesiis vestris penitus extirpetur, quum vobis præcipue et specialiter adscribatur, si quid in ecclesiis eisdem laude dignum inveniatur vel reprehensione notandum.

Nos quoque qui licet immeriti dispensante clementia conditoris suprema fungimur potestate, tantæ cupiditatis et rapacitatis vitium nolentes immendatum relinqui, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus consuetudine ipsa de vestris ecclesiis extirpata, sub anathematis interminatione hoc inhibere curetis, distincte præcipientes, ut, quicumque viri idonei et literati voluerint regere studia literarum, sine molestia et exactione qualibet scholas regere permittantur, ne scientia de cetero pretio videatur exponi, quæ singulis gratis debet impendi.

Si qui vero hujusmodi prohibitionis vel præcepti extiterint transgressores, eos auctoritate nostra et vestra officiis et dignitatibus spoliatis. Porro si hoc juxta mandatum nostrum corrigere neglexeritis, negligentiam vestram gravem habebimus et molestam, etc. Dat. Tusculi xiii. Kalendas Novembris.

Cap. IV.

In qualibet cathedrali ecclesia, vel alia in facultatibus sufficienti, debet a prælato vel capitulo unus magister eligi, cui redditus unius præbendæ debent assignari; in metropolitana vero ecclesia etiam eligi debet theologus. Et si ad grammaticum et theologum non sufficit, provideat ipsi theologo ex redditibus suæ ecclesiæ, et grammatico faciat provideri in aliqua ecclesiarum suæ civitatis vel dioceseos.

Innocentius III. in Concilio Generali.

QUIA nonnullis propter inopiam, et legendi studium et opportunitas proficiendi subtrahitur, in Lateranensi concilio^a 1215. 4th Lateran Council.
 pia fuit constitutione provisum, ut "per unamquamque cathed-

^a I. e. the council of 1179 already quoted.

4 YORKSHIRE SCHOOLS.

Recites provision of 1179; dralem ecclesiam magistro qui eiusdem ecclesiæ clericos aliosque scholares pauperes gratis instrueret, aliquod competens beneficium præberetur, quo et docentis relevaretur necessitas, et via pateret discentibus ad doctrinam."

orders that in, every cathedral church, or others whose means suffice, a fit master be appointed to teach grammar gratis to the clerks of the church. Every archiepiscopal church to have a theological teacher. each to be given a prebend

Verum quoniam in multis ecclesiis id minime observatur Nos, prædictum roborantes statutum, adiicimus, ut non solum in qualibet Cathedrali Ecclesia sed etiam in aliis, quarum sufficere poterunt facultates, constituatur magister idoneus, a prælato cum capitulo, seu majori et seniore parte capituli eligendus, qui clericos ecclesiarum ipsarum [et aliarum] gratis in grammatica facultate ac aliis instruat juxta posse.

Sane Metropolis Ecclesia theologum nihilominus habeat qui sacerdotes et alios in sacra pagina doceat et in his præsertim informet, quæ ad curam animarum spectare noscuntur.

Assignetur autem cuilibet magistrorum a capitulo unius præbendæ proventus, et pro theologo a metropolitano tantundem; non quod propter hoc efficiatur canonicus sed tamdiu redditus ipsos percipiat, quamdiu perstiterit in docendo.

Quod si forte de duobus Ecclesia Metropolis gravetur, theologo juxta modum prædictum ipsa provideat, grammatico vero in alia ecclesia suæ civitatis sive diocæsis quæ sufficere valeat, faciat provideri.

ST. PETER'S SCHOOL, YORK.

DE PONTIFICIBUS ET SANCTIS ECCLESIAE EBORACENSIS
 CARMEN ^a [AUCTORE ALCUINO].

[History of the Church of York and its Archbishops, by James Raine.

Rolls Series, 1879, No. 71, p. 390, l. 1393.]

c. 730. Archbishop Albert succeeded Egbert.

DE quo plura vetat narrari Musa recurrens
 Carminis ad finem; propriique ad gesta magistri,
 Qui post Ecgbertum venerandæ insignia sedis
 Suscepit sapiens Ælbertus nomine dictus.

Vir bonus et justus, largus, pius atque benignus,
 Catholicæ fidei fautor, præceptor, amator;
 Ecclesiæ rector, doctor, defensor, alumnus,

^a This text is taken from a transcript made by J. Mabillon, the editor of the *Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti*, from a MS. in the monastery of S. Theodoric; and as to lines 99-1215 from a MS. at Rheims. Both MSS. have disappeared. The transcript is at Trinity College, Cambridge. Gale MS. O. 2, 26.

Cambridge University Press

978-1-108-05858-2 - Early Yorkshire Schools: Volume 1: York, Beverley, Ripon

Arthur Francis Leach

Excerpt

[More information](#)

ST. PETER'S SCHOOL, YORK.

5

Justitiæ cultor, legis tuba, præco salutis,
 Spes inopum, orphanisque pater, solator egentum,
 Trux rigidis, blandusque bonis, durusque superbis:
 Fortis in adversis, humilis fuit inque secundis,
 Mente sagax, non ore loquax, sed strenuus actu.
 Cui quantum crevit cumulati culmen honoris,
 Tantum mens humili sese pietate subegit.
 De quo versifico paulo plus pergere gressu,
 Euboricæ mecum libeat tibi, quæso, juvenus,
 Hic quia sæpe tuos perfudit nectare sensus,
 Mellifluo dulces eructans pectore succos.
 Quem mox a primis ratio pulcherrima cunis
 Corripuit rerum, summamque vehebat in arcem
 Doctrinæ, pandens illi secreta sophiæ.

Hic fuit ergo satis claris genitoribus ortus,
 Ex quorum cura studiis mox traditur almis,
 Atque monasterio puerilibus inditur annis,
 Sensibus ut fragilis sacris adolesceret ætas.
 De puero nec cassa fuit spes tanta parentum.
 Jam puer egregius crescebat corpore quantum,
 Ingenio tantum librorum proficiebat.
 Sic meritis crescens annis et mente sagaci,
 Jam Levita sacer condigno est ordine factus.
 Hunc bene dum felix adolescens gessit honorem,
 Jura sacerdotii juvenis suscepit honestus,
 Cresceret ut gradibus, meritis qui creverat almis.
 Tunc pius et prudens doctor simul atque sacerdos,
 Pontificique comes Ecgbert conjunctus adhæsit,
 Cui quoque sanguineo fuerat jam jure propinquus.

Of noble birth,
 sent to the
 Minster as a
 boy ;

soon deacon and
 priest ;

A quo defensor clero decernitur omni,
 Et simul Euborica præfertur in urbe magister,
 Ille ubi diversis sitientia corda fluentis
 Doctrinæ, et vario studiorum rore rigabat:
 His dans grammaticæ rationis graviter artes,
 Illis rhetoricæ infundens refluamina linguæ;
 Illos juridica curavit cote polire,
 Illos Aonio docuit concinnare cantu,
 Castalida instituens alios resonare cicuta,
 Et juga Parnassi lyricis percurrere plantis.
 Ast alios fecit præfatus nosse magister
 Harmoniam cæli, solis, lunæque labores,
 Quinque poli zonas, errantia sidera septem,
 Astrorum leges, ortus simul atque recessus,

made chancellor
 and school-
 master of York;
 teaches gram-
 mar, rhetoric,
 law, song,

astronomy,

Cambridge University Press

978-1-108-05858-2 - Early Yorkshire Schools: Volume 1: York, Beverley, Ripon

Arthur Francis Leach

Excerpt

[More information](#)

6

YORKSHIRE SCHOOLS.

natural history, arithmetic, the calendar,	Aerios motus pelagi terræque tremorem, Naturas hominum, pecudum, volucrumque ferarum, Diversas numeri species variasque figuras ; Paschaliq̃ue dedit sollemnia certa recursu,
theology.	Maxime scripturæ pandens mysteria sacræ, Nam rudis et veteris legis patefecit abyssum.
has boarders,	Indolis egregiæ juvenes quoscunque videbat, Hos sibi conjunxit, docuit, nutrit, amavit ; Quapropter plures per sacra volumina doctor Discipulos habuit, diversis artibus auctos.
travels abroad,	Non semel externas peregrino tramite terras Jam peragravit ovans, sophiæ deductus amore, Si quid forte novi librorum seu studiorum, Quod secum ferret, terris reperiret in illis.
goes to Rome	Hic quoque Romuleam venit devotus ad urbem, Dives amore Dei, late loca sancta peragrans. Inde domum rediens, a regibus atque tribunis Doctor honorifice summus susceptus ubique est, Utpote quem magni reges retinere volebant, Qui sua rura fluens Divino rore rigaret.
and returns.	Ad sibi ^a sed properans præfinita facta magister, Dispensante Deo patriæ prodesse redibat.
Is made arch- bishop,	Nam proprias postquam fuerat delatus in oras, Mox pastoraletn compulsus sumere curam, Efficitur summus populo rogitante sacerdos, Officiumque suis meritis decoraverat almis, Ordinis atque bonus pastorque repertus ubique est. Namque tuebatur Divinum cantus ovile, Ulla ex parte lupus Christi ne læderet agnos, Ille quibus sacri præstabat pabula verbi, Ne sitis atque fames ullo vexaret acerbo. De gregeque errantes per eremi devia vastæ Ad Domini caulas humeris revehebat amicis ; Nolentesque sequi placido sermone vocantem, Insequitur juris terroribus atque flagellis ; Nec regi aut ducibus justus parcebat iniquis. Sed neque decrevit curarum pondera propter, Scripturas fervens industria prisca legendi :
but remains a teacher.	Factus utrumque, sagax doctor pius atque sacerdos ; Sensibus hos augens, illos et moribus ornans. Nec pater adveniens in tantum culmen honoris, Vestibus atque cibus veterem mutaverat usum ; Deliciosa nimis fugiens, nec vilia valde

^a Quære, read *sua*.

ST. PETER'S SCHOOL, YORK.

7

Sectatus fuerat, medio moderamine gaudens.

Nec minus interea vario ornamenta decore

Addidit ecclesiis, fidei fervore repletus.

Namque ubi bellipotens sumpsit baptismatis undam

Edvin rex, præsul grandem construxerat aram,

Textit et argento. gemmis simul undique et auro,

Atque dicavit eam Sancti sub nomine Pauli

Doctoris mundi, nimium quem doctor amabat.

[ll.1494-1505 describe the ornaments he gave to the cathedral: a great candelabrum above the high altar, of nine branches one above the other, and another altar dedicated to the Martyrs and the Rood, covered with pure silver.]

Ast nova basilicæ miræ structura diebus

Præsulis hujus erat jam cæpta, peracta, sacrata.

Hæc nimis alta domus solidis suffulta columnis,

Suppositæ quæ stant curvatis arcubus, intus

Emicat egregiis laquearibus atque fenestris,

Pulchraque porticibus fulget circumdata multis,

Plurima diversis retinens solaria tectis,

Quæ triginta tenet variis ornatibus aras.

Hoc duo discipuli templum doctore jubente

Ædificaverunt Eanbaldus et Alcuinus, ambo,

Concordes operi devota mente studentes.

Hoc tamen ipse pater socio cum præsule templum,

Ante die decima quam clauderet ultima vitæ

Lumina præsentis, sophiæ sacraverat almæ.

Ergo ministrator clarissimus ordine sacro,

Præsul perfectus meritis plenusque dierum,

Tradidit Eanbaldo dilecto lætus alumno

Pontificale decus, sibimet secreta petivit

Septa, Deo soli quo jam servire vacaret.

Tradidit ast alio caras super omnia gazas

Librorum nato, patri qui semper adhæsit,

Doctrinæ sitiens haurire fluentia suctus:

Cujus si curas proprium cognoscere nomen,

Fronte sua statim præsentia carmina prodent.

His divisit opes diversis sortibus; illi

Ecclesiæ regimen, thesauros, rura, talenta:

Huic sophiæ specimen, studium, sedemque, librosque,

Undique quos clarus collegerat ante magister,

Egregias condens uno sub culmine gazas.

Illic invenies veterum vestigia patrum,

Quidquid habet pro se Latio Romanus in orbe,

p. 374, l. 1506.

Albert builds a
new cathedral,

assisted by
Eanbald and
Alcuin.

Eanbald I. suc-
ceeds him as
archbishop,

Alcuin as
schoolmaster
and librarian.

Books in the
library.

8 YORKSHIRE SCHOOLS.

Latin, Greek, Hebrew. Græcia vel quidquid transmisit clara Latinis,
 Hebraicus vel quod populus bibit imbre superno,
 Africa lucifluo vel quidquid lumine sparsit.
 Jerome, Quod pater Hieronymus, quod sensit Hilarius, atque
 Ambrosius præsul, simul Augustinus, et ipse
 Sanctus Athanasius, quod Orosius edit avitus :
 Quidquid Gregorius summus docet, et Leo papa ;
 Basilius quidquid, Fulgentius atque, coruscant
 Cassiodorus item, Chrysostomus atque Johannes.
 Bede, Quidquid et Althelmus docuit, quid Beda magister
 Quæ Victorinus scripsere Boetius atque,
 Historici veteres, Pompeius, Plinius, ipse
 Acer Aristoteles, rhetor quoque Tullius ingens.
 Quid quoque Sedulius, vel quid canit ipse Juvenius,
 Alcimius et Clemens, Prosper, Paulinus, Arator,
 Quid Fortunatus, vel quid Lactantius edunt.
 classics, Quæ Maro Virgilius, Statius, Lucanus et auctor ;
 grammarians. Artis grammaticæ vel quid scripsere magistri,
 Quid Probus atque Focas, Donatus, Priscianusve,
 Servius, Euticius, Pompeius, Comminianus.
 Invenies alios perplures, lector, ibidem
 Egregios studiis, arte et sermone magistros,
 Plurima qui claro scripsere volumina sensu ;
 Nomina sed quorum præsentis in carmine scribi
 Longius est visum, quam plectri postulet usus.
 Death of Albert. His ita dispositis, complens sua tempora, summus
 Antistes, totus meritis maturus et annis,
 Post annos binos, menses simul atque quot annos,
 Ex quo septa sacer præsul secreta petivit,
 Discipulis coram pastor, patriarcha, magister,
 Transit ad ætheream lætus feliciter aulam.
 Hanc tamen, hanc citius lugubris, mea fistula, partem
 Desere, ne pereas lacrimarum gurgite mersa ;
 Dum properas portum velis hucusque secundis,
 Quid memorare studes nobis mœstissima fata ?
 Cum subito ante oculos cunctis mors invida nostros
 Lumina supremo clausit veneranda sopore
 Pontificis summi, nostri patris atque magistri.

EX-SCHOOLMASTER ALCUIN TO THE CANONS OF YORK.

[Alcuini Epistolæ. Migne Patrologiæ, 1851, vol. c., p. 146.]

c. 793.

Epistola VI.

Alcuin, deacon,
 to brethren of
 church of York.

DILECTISSIMIS et valde venerabilibus in Christi charitate

ST. PETER'S SCHOOL, YORK

9

Eboracensis ecclesiæ fratribus, vestræ filius pietatis Albinus
 diaconus Salutem.

Vos fragiles infantiae meae annos materno fovistis affectu et lascivum pueritiae tempus pia sustinuistis patientia, et paternae constigationis disciplinis ad perfectam edocuistis aetatem, et sacrarum eruditione disciplinarum roborastis . . . [Pious wishes for them.]

You nursed me as a baby, endured me as a boy, and with paternal floggings brought me to man's estate.

Vos quoque, qui estis aetate filii sed meritorum sanctitate patres, per divinam obtestor clementiam, nunquam eruditionis vestrae in sanctis orationibus obliviscimini magistrum. Testis enim cordis mei mihi est inspector, quod devote vestrum semper in ecclesiasticis disciplinis et spirituali doctrina desiderabat profectum . . . Memores mei estote: ego vester ero, sive in vita, sive in morte. Et forte miserabitur mei Deus, ut cuius infantiam aluistis, ejus senectutem sepeliat

For God's sake do not forget your old schoolmaster in your prayers, who did his best. Perhaps he may be buried among you.

Omnem a vestra sancta conversatione repellite segnitiam melius est servis Dei animam ecclesiasticis ornare moribus, quam corpus, laicorum consuetudine, pompatica vestire vanitate. Et melius est sacra matris ecclesiae mundissima calcare limina, quam lutulentas villanae foeditatis semitas frequentare.

Do not be idle or wear smart clothes, or walk about the dirty streets.

FOUNDATION OF LICHFIELD GRAMMAR SCHOOL (?) BY
 OFFA AND ALCUIN.

[Alcuini Epistola 49, l. c., p. 214]

DOMINO excellentissimo Offano Regi humilis levita Alcuinus
 Salutem.

Deacon Alcuin to King Offa.

Fideliter voluntati tuae semper placere cupiens hunc meum clarissimum filium ad vos remisi sicut petisti, deprecans ut eum honorifice habeatis, donec ad vos, volente Deo, veniam.

Sends one of his pupils to act as schoolmaster.

Nec eum sinite otiosum vagare, nec ebrietati servire, sed praevideate ei discipulos, et praecipientes praecipite ut diligenter doceat.

Scio quod bene dicit, et utinam bene proficiat, quia discipulorum meorum profectus merces est mihi apud Deum.

a good speaker.

Et valde mihi placet quod tantam habetis intentionem lectionis, ut lumen sapientiae luceat in regno vestro, quod multis modo extinguitur in locis.

Much pleased with the King's zeal for learning, now extinct in many places.

10 YORKSHIRE SCHOOLS.

EX-SCHOOLMASTER ALCUIN TO ARCHBISHOP OF YORK.

Alcuini Epistola, lvi., l.c., p. 222.

c. 796.

Father Alcuin to Abp. Eanbald II. of York.

Thanks God one of his old pupils at York has become archbishop in the church where he was educated, and made school-master and librarian by Abp. Albert.

Recommends separate school-masters for grammar, song, and writing ;

and establishment of inns or hospitals for the poor and strangers.

DILECTISSIMO in Christo filio Eanbaldo Archiepiscopo devotus per omnia pater Albinus salutem.

Laus et gloria Domino Deo Omnipotenti, qui dies meos in prosperitate bona conservavit, ut in filii mei charissimi exaltatione gauderem, et aliquem ego ultimus ecclesiæ vernaculus, ejus donante gratia, qui est omnium bonorum largitor, erudiem ex filiis meis qui dignus haberetur, dispensator esse mysteriorum Christi, et laborare vice mea in ecclesia, ubi ego nutritus et eruditus fueram, et præesse thesauris sapientiæ, in quibus me magister meus dilectus Helbrechtus archiepiscopus heredem reliquit.

Prævideat sancta solertia tua magistros pueris; clero^a separantur separati more illorum, qui libros legant, qui cantilenæ inserviant, qui scribendi studio deputentur. Habeas et singulis his ordinibus magistros suos, ne vacantes otio vagi discurrant per loca, et inanes exerceant ludos, vel aliis mancipentur ineptiis. Hæc omnia et solertissima, fili charissime, tua consideret providentia, quatenus in sede principali gentis nostræ totius bonitatis et eruditionis fons inveniatur; et ex eo sitiens viator vel ecclesiasticæ disciplinæ amator, quidquid desiderat anima sua, haurire valeat.

Consideret quoque tua diligentissima in eleemosynis pietas ubi xenodochia, id est, Hospitalia fieri jubeas, in quibus sit quotidiana pauperum et peregrinorum susceptio, et ex vestris substantiis habeat solatia.

HISTORY OF FIRST 4 NORMAN ARCHBISHOPS.^b

By Hugh the Chanter (*i.e.*, Precentor).

[Hist. Ch. of York, II., 107, &c.]

1072-1100. **D**E archiepiscopo, [sc. Thomas I.,] breviter recapitulare volo.

Thomas I. Quando archiepiscopatum suscepit, cuncta hostili vasta-

^a There is something wrong here. Read "clerici" for "clero," "Gallorum" for "illorum."

^b Written, as appears from internal evidence, before 1128. It ends in 1127, and speaks of Ranulphus Flambard, Bishop of Durham, who died in 1128, as still living.